MEMORIA
VIRI
Admodum Reverendi, Præclariſsimi & Doctiſsimi

DOMINI
M. HENRICI GOLTZII,

Fideliſſimi Eccleſiæ Cathedralis Archi-Diaconi,

lugubri manu Poſteritati commendata

CIVIBUSQUE SUIS

ut in funus veniant,

indicata

à

RECTORE ET SENATU REGIÆ ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ.



REGIOMONTI, Literis REUSNERIANIS, 1715.

OBtinuit ergò & ſuam tandem Rudem *Vir admodum Reverendus, Præclariſsimus & Doctiſsimus*, **M. HENRICUS BOLTZ**/ *Eccleſiæ Cathedralis Archi-Diaconus, uti meritiſsimus, ita fideliſsimus*, ac à perículoſo illo atque operoſo, quo inter varios labores & dolores, quibus vita hæc abſolvitur etiam feliciſſima, LXI. annis continuò fuit exercitus, diſcrimine dimiſſus, verâ inter beatos Cœli Cives nunc libertate eſt donatus. Summa equidem Rudiariorum Romæ felicitas erat, conſummatô, poſt multas operas arenæ elocatas, gladiatoriô munere, rude donari, atque Pileum præmium reportare: (*a*) aſt quam modis omnibus illuſtrior ea eſt dignitas, qua poſt moleſtiſſimum Vitæ Curſum alacriter conſummatum, poſt confectum fortiter graviſſimum Certamen, Caput æterno Juſtitiæ diademate, manus ſemper vivis palmarum frondibus ornatus jam gaudet piè NOSTER defunctus. (*b*) Sanè ſi, omni Ejus vitâ exactâ, ſingula, quibus Cœleſtis Eum Bonitas ornaverat, cogites, haud vulgatæ felicitatis argumenta deprehendes; quæ uti ipſe humillima devotione quotidiè celebrare, atque DEO, uni omnium benigniſſimo Autori, ultrò accepta referre ſolebat: ita ſemper iſtorum iniens rationem, labore & dolore ſic abundare undiquaque profitebatur, ut niſi ſolidioris atque certioris felicitatis, poſt ſummas vitæ hujus ærumnas, ſpes ſupereſſet, ne digna, quæ terrenæ hujus felicitatis nomine venirent, ſtatueret. Nunc

(*a*) Vid. Deſid. *Eraſmi Roterod.* Adagia, Chiliad. 1. Cent. IX. num. 24. *Juſt. Lipſii* Saturnal. lib. II. cap. 23. & *Thom. Goodwin* Antholog. Roman. L. II. Sect. III. cap. 10.

(*b*) Apocal. VII. 9.

Nunc verò, poſtquam expletam hanc ſuam, inter cœleſtia, ſpem experitur, abſolutiſſimæ ſimul felicitatis obtinens Metam & Caput, reverà videt, quàm longiſſimo intervallo, à perfectione diſtet ſplendidiſſima etiam Mundi hujus fortuna, ac proinde eò magis præſentibus ibidem delectatur, quo vaniorem præteritorum vilitatem cognovit. Quamdiu *Beato Noſtro* in Stadio hujus vitæ currendum atque de virtute in virtutem procedendum fuit, tamdiu Paulinum iſtud perpetuò inſtar Symboli ſecum recoluit: *Non quod jam apprehenderim, aut jam conſummatus ſim: perſequor tamen, ut apprehendam, poſteaquam à Chriſto JEſu apprehenſus ſum. Fratres, ego me ipſum non arbitror apprehendiſſe: unum verò quæ retro ſunt, obliviſcor, ad ea verò, quæ antrorsùm, contendo. Ad ſcopum perſequor, ad præmium ſupernæ vocationis DEI in Chriſto JESU.* (*c*) Jam rude donatus eſt, quinimò Pileum exoptatæ libertatis atq; Coronam conſummatæ gloriæ conſecutus eſt, nunc inter æternitatis honores, æternum FELIX agit. *Mementote*, Divus inquit Gentium Doctor, *Ductorum veſtrorum, qui locuti ſunt vobis ſermonem DEI; quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.* (*d*) Agedum ergò, cujus Vivi ſummis pariter atque medioxumis gratum ſemper extitit Nomen ac honoratum, ejus demortui etiam non alia, quin nunquam intermoritura apud nos exiſtat memoria! Quamobrem, dum monumentum aliquod literarium conamur, quid convenientius præſtando huic pietatis officio adhibeamus, quàm ſi ærumnoſum atque multiplici rerum diſcrimini obnoxium, laudabilem tamen & nunc felici curſu abſolutum, bea-

(*c*) Philipp. III. 12. 13. 14.

(*d*) Hebr. XIII. 7.

beatè Nostri Defuncti, vitæ cursum, sub imagine AGONISTICORUM EXERCITIORUM nobis ob oculos posuerimus, feræque Posteritati commendaverimus. Non enim profanarum modò, sed & divinarum insuper Literarum conspirans firmat consensus, vitam hanc mortalium in hoc mundo, præprimis Christianorum, & vel maximè eorundem Antistitum atque Doctorum in hâc militante Ecclesia, indefessum curriculum, gravem luctationem, decertatoriam pugnam & perpetuam in his terris malitiam esse, adeò, ut qui hæc negare aut saltem in dubium vocare ausus fuerit, vel divini Codicis omninò ignarus, vel rerum mundanarum imperitus, vel etiam sui ipsius oblitus existat, necesse sit. (*e*) Nec cum omnia hujus rei capita attingere, præsentis instituti permittat ratio, paucissima tantum eademque palmaria lustrabimus. Flebile istud est Effatum Jobi, Viri in vicissitudinibus & calamitatibus vitæ hujus præsentis undique satis exercitati: *Homo, natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Militia est vita hominum in hac terra, & sicut dies Mercenarii, dies ejus.* (*f*) Sic & *Beatus noster* in Arenam hujus Mundi missus, & ad certandum atque pugnandum veluti natus est A. C. 1653. VII. Id. Decembr. Parentibus honestissimis: *Patre, Viro Nobilissimo atque Spectatissimo, Domino* GODOFREDO GOLTZIO, *antea Præfecturæ Balgensis Scribâ dexterrimô, dehinc Serenissimi Electoris Brandenburgici Rei Frumentariæ Præfecto, annos ultrà quadragesimum, meritissimo.* Majores insuper in Paternâ hâc Lineâ habuit Viros & Famæ integritate, & meritis in Eccclesiam, inclytos: præ-

(*e*) Job. IX. 25. Syrac. XL. 6.
(*f*) Job. XIV. 1. & VII. 1.

præprimis Avum, *Virum Consultissimum & Amplissimi Nominis, Dominum* BARTHOLOMÆUM GOLTZIUM, *Berolinensis Reipubl. Consulem gravissimum, & geminarum Ecclesiarum primi Ordinis Antistitem supremum.* Matre prognatus est *Nobilissimâ & Sexûs sui Virtutibus ornatissimâ Fœmina,* MARIA, *Viri plurimum Reverendi, Clarissimi & Doctissimi, Domini* M. HENRICI CRUSII, *Ecclesiæ Tapiavensis Pastoris, per LVII. annos uti fidelissimi, ita & emeriti, dilectâ Filiâ.* Cursores atque Luctatores primùm oleô, deinde ceromate ante initum certamen inungi solitos, Veterum abundè testantur monumenta. (*g*) Infantem recens natum, Honestissimi Parentes, pariter Sacri Baptismatis fonte abluendum statim curârunt, in quo Regenerationis atque Renovationis lavacrô, cœlesti Spiritûs S. oleô, ad currendum alacriter in stadio hujus vitæ, & fortiter adversus abnegatos Fidei hostes pugnandum, quasi unctus atque initiatus est. (*h*) Cursores & Athletæ vel à teneris *in Gymnasiis* exercebantur, ut tandem in publicis ludis, sacrisque certaminibus & Populum oblectare, & victoriâ, præmiisque potiri valerent: (*i*) Neque in his præludiis solertissima optimorum Parentum defecit cura, sed in optimam filii educationem incumbentes, ut probè jactis pietatis fundamentis, animus ipsiûs reliquis etiam saluberrimis Artium ac Scientiarum Præceptis imbueretur, tàm privatâ, quàm publicâ informatione puero prospexerunt, vigoremque animi ac vividum ingenium maturè

B

tra-

(*g*) Vid. *P. Fabri* Agonistica, L. II. cap. 12. & *Jac. Lydii* Agonistica Sacra, cap. VIII.
(*h*) Tit. III. 5. 6.
(*i*) Vid. *Hieron. Mercurialis* Tractat. de Arte Gymnasticâ, & *Joh. Jac. Hofmanni* Continuat. Lexici universalis, Tom. I. sub voce *Cursor* & *Gymnasium*, p. m. 572. & 825.

tradiderunt ulterius excitandum *clarè docto* JOH. CZIKORRA, *tum Studioso*, dehinc *Polonicæ Ecclesiæ in Æde Steindammensi Cantori exercitatißimo.* Positis privati hujus tirocinii rudimentis, in publicam *Palæstram* (*k*) Scholæ Lœbnicensis postmodum introductus, Diribitoribus ejusdem, beatæ memoriæ clarissimo M. JOACHIMO BABATIO, tum temporis indefesso illius Rectori, ejusdemque assiduis Collegis commendatus fuit, quorum singulari industria adeò brevi profecit, ut in Progymnasticis hisce ludis jam probè exercitus, summa cum laude Pileum Academicæ libertatis & petere & impetrare potuerit. (*l*) Neque enim, qui pravus hodie multorum mos existit, nuda & cruda in Academiam nostram intulit Studia, sed in ludo Scholasticæ hujus suæ Palæstræ, tàm latinas, quàm græcas, aliasque humaniores literas ita excoluit, ut in omni hâc elegantiori literaturâ promptè ac feliciter omnia semper præstare atque expedire valuerit. Optimâ itaque cum veniâ & summa cum laude atque benedictione A. 1671. V. Nonar. Octobr. è Scholâ ante laudatâ dimissus, ad graviora in hanc nostram Academiam venit exercitia, & in numerum reliquorum suorum Commilitonum receptus est, *Rectore Magnificô, Virô Excellentißimô, Amplißimô atque Experientißimô, Dominô* GEORGIO LOTHO, *Medicin. D. & Prof. Prim. celeberrimô.* In hôc Curriculô ut tantò facilius atque felicius metam attingeret exoptatam, nec proprio ausu & arbitrio cursum suum instituit, nec promiscuè cœcorum, quorumvis

rumvis

(*k*) Vid. *Gerh. Joh. Vossius* in Tract. de Arte Gymnasticâ, cap. III. §. 9. & seqq. p. m. 13.

(*l*) Vid. *Joh. Jac. Hofmanni* Continuat. Lexic. Univers. Tom. II. sub voce *Pileus*, p. m. 513.

rumvis Ductorum Compendia, quæ plerumque magnô cum dispendiô in avia & devia ducunt, secutus est; sed pedetentim à lineâ more antiquorum Cursorum primùm incessit, (*m*) sat citò reputans se scopum obtinere, si modò cum laude & sat benè. Quo fine cordatos & de Republ. literariâ optimè meritos Duumviros sibi elegit Manuductores, *Nobilißimum atque Clarißimum Dominum* M. FRIDERICUM RÜCKERUM, *Scholæ Lœbnicensis Rectorem vigilantißimum*, & *Nobilißmum ac Clarißimum Dominum* M. CHRISTOPHORUM Hartknoch/ sub quorum privatâ Studiorum directione atque moderamine, tantos vel intra triennium in *Logicis*, *Politicis*, *Geographicis atque Historicis* progressus fecit, ut non solùm privatim, sed & publicè jam athletica respondendo & opponendo subiret munia. Testantur hoc vel gemina ista specimina, *de Justitiâ universali & de Naturâ & Constitutione Poëtices ad mentem Aristotelis*, quorum prius A. 1674. Præside laudatô *M. Frider. Rückero*, posterius verò sub Præsidio celeberrimi *M. Christophor.* Hartknochen A. 1675. masculè defendit. Neque hinc & summis atque de nostrâ Academiâ optimè meritis Antistitibus ignotus mansit, sed vel maximè *Viro summè Reverendo, Amplißimo atque Excellentißimo, Domino* MELCHIORI ZEIDLERO, *Philos. & S. Theol. D. Prof. Publ. & t. t. Concionat. Aulico Secund.* nec non *Viro Prænobilißimo, Amplißimo ac Excellentißimo, Domino* M. ANDREÆ HEDIONI, *Metaph. & Log. P. P. Ordin.* innotuit, è quorum & publicis & privatis fidelissimis Institutionibus in Cursu suo Philosophico se multum profecisse, semper grata mente recoluit. Primô sic Cursu ad

me-

(*m*) Conf. *Jac. Lydii* Agonistica Sacra, cap. VII. p. 29.

metam ferè feliciter perductô, alterum, nempe Theologicum, pari alacritate animi iniit, hancque summam felicitatem nactus est, ut Ductum Consummatissimorum eô tempore Publicorum Scientiæ Divinæ Professorum sequi potuerit. Præcipuè verò Homileticæ Theologiæ rudimenta, variisque Exercitiis consolidata fundamenta *Viro Magnifico, summè Reverendo atque Excellentissimo, Domino* BERNHARDO *von* SANDEN, *t.t. Palæopolitani Cœtûs Archi-Diacono, mox Pastori vigilantissimo, tandemque S. Theol. D. & Prof. Prim. S.R.M. à Concionibus Aulicis supremo, & in Prussia Episcopo Venerando*, accepta tulit; in quo Studiorum genere adeò mox crevit atque adolevit, ut non nisi summo omnium cum applausu Cathedram Ecclesiasticam semper descenderit. Et licet intra hosce Patrios Cancellos (*n*) perfectus Illi ad Eruditionem Cursus pateret, ampliora tamen Spatia, institutis ad extera loca excursionibus, ipse consilio optimi Parentis sui sibi aperuit. Felici proinde pede, ut Studia Theologica atque Philosophica magis magisque excoleret, A. 1677. Thorunium petiit, hinc per Poloniam Vratislaviam contendit, Silesiamq; peragravit; in Lusatia superiori Budissam, Gorlitium, Zittaviam, Lœbaviam, Laubanam & Camentiam, vulgò sic dictas Hexapoles, visitavit; tandemque salutatâ Dresdâ, Lipsiam venit, ubi mox & Auditor & Convictor *Maximè Reverendi, Excellentissimi atque Amplissimi, Domini* JOH. BENED. CARPZOVII, *SS. Theol. D. & P. P. celeberrimi* factus est, posteaquam *à Magnifico t. t. Rectore, Viro summè Reverendo atque Amplissimo Domino* JOH. OLEARIO, *t. t. SS. Theol. Licent. & P. P.* Civium Academicorum Albo prius fuerat insertus. Neque tamen in hôc Lyceô (*o*) suum optimè promeritum consecutus est Brabeum, sed in inclyta demum Jenensi Academiâ istud quoad egregios in Philosophiâ conatus obtinuit, in quâ non solùm *à Magnifico Rectore t. t. Virô maximè Reverendô, Domino* JOH. GVILIELM. BAJERO, *SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ordin.* in numerum istius loci Academicorum, sed & mox *à Celeberr. Domino* PHILIPPO MULLERO, *Eloquentiæ & Poëseos Prof. Publ. Ordin. ac t. t. Philosophicæ Facultatis spectabili Decano*, prævio tum consveto tentamine, tum solenni examine, in numerum Candidatorum, summos in Philosophia honores ambientium, receptus, tandemque *à Virô Excellentissimô atque Amplissimô, Dominô* CASPARO POSNERO, *Physic. Prof. Publ. Ordin. tanquam Brabeutâ*, ritè constitutô, admodumque conspicuô, *Laureâ* Magisteriali A. 1677. Non. III. Decembr. redimitus est. Jam sentiebat *Beatus Noster*, eidem in hâc publicâ Palæstrâ non modò currendô, sed etiam dimicandô ad altiora tendendum, Aliisque nunc ipsi & præeundum & ad pugnam Veritatis præludendum esse, ideoque nihil magis in votis habuit, quàm ut ad hoc modò literarium certamen, mox fortè sacrum futurum debitâ spirituali armaturâ, tot exercitatissimorum in inclytis modò nominatis Academiis, viventium atque vigentium Virorum experientiâ tutius se munire posset: quem in finem & primum jam in superiori exteras inter Musas Cathedrâ specimen præstandum præparaverat,

C pa-

(*n*) Vid. *Joh. Jac. Hofmanni* Continuat. Lexici Universal. Tom. I. sub voce *Cancelli*, p. m. 341. a.

(*o*) Conf. *Joh. Philip. Pfeifferi* Antiquit. Græc. lib. 2. cap. 66.

pariterque de revisendâ pristinâ Lipsiensi Academiâ firmiter sibi proposuerat: ast impedimento ipsi fuit sinistra & periculosa dilectissimi Parentis valetudo, quæ ipsi in hôc curriculô molestam injecit remoram, *Beatumque Nostrum* celeriori pede in Patriam revocavit, quam eundem dimiserat. Vix enim in Patriam terram redux, & jam A. 1663. maternâ curâ orbatus, etiam beneficum Parentem, cujus mox decedentis vix per VI. Septimanas curam habere potuerat, A. 1678. d. 31. Jul. flebili fato amisit. Ex hoc tempore propria piè *Defuncti Nostri* incepit cura. Itaque Jure Academicô sub Rectoratu *Viri Magnifici, Amplissimi atque Experientissimi, Domini* JOHANN. GEORG. STRASBURG, *Med. D. & P. P. Ordin. repetitô*, ab Amplissima Facultate Philosophicâ solemni more receptus, mox *pro Receptione* in Eandem *Positiones aliquot ex utrâque Politicæ parte depromptas*, amicæ Sym-Palæstritarum collationi d. 27. August. exposuit. In hâc statione ritè occupatâ, nec Ipse stetit, nec alios otiosos stare permisit, sed legendo ac disputando in variis Scientiis Philosophicis, præsertim *Logicis Politicis, Physicis, Historicis & Geographicis*, cæteris suis, non solùm Nobilibus, verùm etiam Generosis Commilitonibus, tantâ animi alacritate præivit, eorundemque gressus solidioribus Philosophicarum demonstrationum exercitationibus, assistente Divinâ Gratiâ, ita feliciter firmavit, ut vel Tyrones ante hunc Magistrum suum, exoptatam tàm in Ecclesiasticis, quàm Politicis functionibus, non sine parvô animi ejusdem gaudiô, obtinuerint Promotionem. In publicam Arenam disputando de materiis, inprimis Politicis, haud vulgaribus, sexies descendit, nec nisi Victor inde semper rediit, testantur hoc vel tot egregia Specimina singulis ferè annis erudito Orbi publicô prælô communicata: veluti A. 1680. Quæstio Politica: *Utrum Jus naturale cadat in Bruta?* A. 1681. Differt. *de Imperiô Patris domesticô;* A. 1682. Exercitat. de Quæstione: *An, & quomodo ex malis civiliter boni, & contra, ex bonis nonnunquam reddi possint mali?* Annô eôdem *Decas Controversiarum Politicarum;* A. 1683. Disputat. *de Jure Talionis;* denique A. 1684. Exercitat. Academica *Selectiores quasdam è Politicâ exhibens Controversias.* Veruntamen non modò ad Philosophica Certamina, sed vel maximè ad Bella DOMINI gerenda, *Beatus Noster* à *Supremô Agonothetâ* destinatus erat, qui etiam præstituto tempore Eidem Baculum Pastorale in manus dedit. Licet enim vacantibus Officiis Ecclesiasticis, Landsbergensi & hîc Regiomonti in Monte Avenariô, nondum præficeretur, nec per Divinam Providentiam A. 1684. *Celeberrimo D. Zeidlero*, t. t. Ecclesiæ Cathedral. Pastori fidelissimo quidem, ast cum multis multô labore defatigati corporis ægritudinibus perpetuò conflictanti, *Beatum Nostrum* ex voto in adjutorium suum sibi adsciscere concederetur: illuxit tamen hora, quâ post discessum è vitâ *Viri plurimùm Reverendi atque Doctissimi, Domini* DANIELIS ERASMI, *Cœtûs Lœbnicensis Archi-Diaconi longè meritissimi, Beatus Noster* in vineam Domini ritè vocatus, atque præviâ Concione pro-

probatoriâ, consvetoque Venerandi Consistorii Sambiensis Examine, in locum piè defuncti surrogatus, tandem *à Virô maximè Reverendo ac Amplißimô, Dominô* M. GEORGIO FUNCCIO, *Pastore Lœbnicensis Ecclesiæ, ut & Consistorii Sambiensis Assessore graVißimô*, Sacro huic Muneri & initiatus, & Domin. XVI. post Trinit. in istud solenniter introductus est. In quo per integrum Sexennium multo cum fructu, veluti in stadio, Spectatoribus suis fidelibus, & vitæ integritate & doctrinæ puritate ita præcurrit, atque pro veritate Doctrinæ cœlestis, tanquam pro aris & focis sic dimicavit, ut etiam ad altius dignitatis fastigium in eodem Cœtu adscendere potuisset, nisi id ipsius modestia recusasset. Placuit nihilominus Sapientissimo rerum humanarum Arbitro, ut, cum A. 1690. *Vir admodum Reverendus atque Doctisſimus, Dominus* CONRADUS GOERITZIUS, *Cathedralis Ecclesiæ Archi-Diaconus Vigilantisſimus*, placida morte dimitteretur, & ad perennem quietem transferretur, *Beatus Noster*, unanimi suffragio ad dicendum & dimicandum in aliam, nempe Cathedralis Ecclesiæ stationem vocaretur; huic divinæ voluntati protinus morem gerens, & priori dilectissimo Cœtui valedixit, novamque Spartam, introducente Eum, die Domin. XVI. post Trinit. *Admodùm Reverendo, Domino* M. GODOFREDO STEIN, *Ecclesiæ Cathedralis Pastore disertisſimo, atque venerandi Consistorii Sambiensis Assessore graVisſimo*, sequenti Domin.

Domin. XVII. post Trinit. strenuus Christi miles occupavit, quam nunquam segnis neglexit, nec unquam timidus deseruit, sed contra omnes Satanæ & pessimarum corruptelarum insultus, intaminatæ Conscientiæ clypeo tectus, acriter adeò & vigilanter ad extremum usque vitæ halitum defendit, ut irrepentibus vitiis intrepidus resisteret, & pro virili commissas fidei suæ animas DEO puras atque Verbi Ministerio purgatas reddere allaboraret. Molestum hunc vitæ cursum, ut eò felicius & quoad domesticas curas, absolveret, An. 1685. die 5. Maji in matrimonium primùm duxit *Virginem tunc lectißimam* SOPHIAM, *B. Domini* GEORGII STEPHANI, *Advocati trium Almæ nostræ Regiomontanæ Scabinatuum felicißimi, dilectißimam Filiam;* idque pacificum pariter & concors per integros XVI. annos expertus, & septenariâ prole divinitùs donatus est, quinque nimirum Filiis, & duabus Filiabus, ex quibus jam bini filii totidemque Filiæ ante Patrem cœleste obtinuerunt diadema; inter superstites verò partim absens *Clarißimus* GODOFREDUS HENRICUS Götz / *Philosophiæ Magister dignisſimus, & Theologiæ Cultor indefessus*, partim præsentes, THEODORUS atque GEORGIUS

D FRI-

FRIDERICUS, GOLTZII, maturum optumi Parentis mortem acerbè lugent. Hoc vinculo conjugali Anno 1701. die 27. Julii invidiâ mortis solutô *Beatus noster* per annum viduus, ut suis eò meliùs prospiceret, ad vota secunda A. 1702. die 5. Octobris transiit, *Nobilissimam atque omni Virtutis genere ornatissimam Virginem*, CATHARINAM ELISABETHAM, *Viri Maximè Reverendi atque Amplissimi, Domini* M. JOHANN. QUANDTEN, *t. t. Palæopolitani Archi-Diaconi optimè meriti, nunc Pastoris atque Consistorii Sambiensis Consiliarii gravissimi Filiam, natu mediam*, matrimonio sibi junxit, cujus singulari atque indefessâ curâ, infirma atque morbosa illius ætas usque ad extremum vitæ terminum, non sine propriô vitæ dispendio, per integros ferè XIII. annos fota atque nutrita fuit. Qualem verò habuerint matrem hoc tempore curatricem, vel ipsi judicabunt gratissimi Filii! Sic itaque BEATUS NOSTER superatis omnibus vitæ hujus molestiis læta nunc canit epinicia, atque cum Paulo concinit: *Certamen bonum certavi, cursum absolvi, fidem servavi; quod reliqvum, reposita est mihi corona justitiæ, quam dabit mihi Dominus in illâ die, justus Judex, non tantum autem mihi, sed etiam omnibus, qui amant*

appa-

apparitionem ipsius. (p) Et quid mirum, quod BEATUS NOSTER tam feliciter cursum suum absolverit. Vel enim à puero, cum Timotheô bonum JESU CHRISTI egit militem, juveniles fugit concupiscentias, fidemque semper ac justitiam, charitatem ac pacem cum iis persecutus est, qui invocant Dominum ex purô corde; Paulum athletam imitatus est, quotidiè carnem servam ducens & sub obsequium Servatoris sui redigens, armaturâque spirituali ab ipsô commendatâ probè munitus nunquam aerem verberavit, nec in vanum cucurrit, sed ita semper aliis viam ad salutem æternam ducentem & monstravit & ab hostibus hujus seculi propriô suo exemplo tutam vindicavit, ne aliis prædicans ipse reprobus inveniretur. (q) Ità strenuè militavit per integros ferè triginta annos pro Gloria DEI SUI, & licet ultimis temporibus ob sinistram valetudinem Stationarius factus fuerit, adeò, ut non amplius alacriter currendo omnibus Officii sui partibus ex voto satisfacere valeret,

ret,

(p) 2. Tim. IV. 7. 8.

(q) Vid. 1. Cor. IX. 26. 27. Ephes. VI. 10. & seqq. 2. Tim. II. 22. & & in h. l. *Jo Andr Bosii*, Exercitat. Philol. Jen. 1673. edit. *M Tob. Eckhard*, Diss. de Paulô Athletâ, Witteb. 1688. *J. A. Schmid*, Diss. de Armaturâ Spirituali, Helmstad. 1701. *Salom. Deylingius*, Part. I. Observat. Sacr. Observ. 41. tandemque *Jac. Lydii*, Agonist. Sacr. Franequ. 1700. in 8vo vulgat.

ret, ſedendo tamen in ſacra loca non ſine flebili præſentium aſpectu alienis pedibus deportatus, ea quæ potuit pro virili præſtitit. Tandem cum curſûs ſui terreni perſentiſceret terminum, mundanis hiſce valedicens, ſacratiſſimo ſe munivit Viatico, hinc avidiſſimè cupiens diſſolvi, benedictione Conjugi chariſſimæ atque Liberis impensè dilectis impertitâ, die 6. Aprilis hora IV. pomerid. inter preces atque ſuſpiria adſtantium placidè obdormiendo curſum ſuum finivit, cœleſteque Brabeum gratioſâ è manu Servatoris ſui, tanquam fidelis ſervus conſecutus eſt; Spatium Curriculi vitæ ſuæ annis LXI. & IV. menſ. emenſus. Afflictæ nunc valdè Viduæ, Filiisque haud parùm triſtatis, nec non *Beato* & ſangvine & animo junctis, ſupremum Numen, ſolatio Spiritûs ſui fortiter ſuccurrat, aliaque quævis felicia porrò clementer illis largiatur. Vos verò Cives, quem vivum honorâſtis, & nunc ad metam æternitatis deventum, frequenti veſtrâ præſentiâ quoad corpus, in tumulum ſuum deducite. P.P.

A.R.S. M. DCCXV, XVI.
Calend. Maji.